

diuinitatem,excludendo,vel non includendo fili-
lium, non comparat paternitatem; nisi habeat
duo contradictoria in suo intellectu: cum
paternitas secundum illud, quod est, sit
per se ad filium:ergo secundum Doct.totum es-
se paternitatis est ad filium, tan quam ad termi-
num.

Secundo, respectus, si diffinitur, semper per
terminū, & non per fundamentum diffinitur, vt
patet ex relatiuorum diffinitione, in qua habitu
do ad terminum, & non ad fundamentum expri-
mitur: ergo tantum habitudo ad terminum est
relationi essentialis.

Tertio, relatio, quando tribuit suum effe-
ctum formalem illi, cuius dicitur relatio, ordi-
nat illud ad aliud, vt ad terminum: ergo licet fun-
detur in fundamento; totum suum esse est ad ter-
minum.

Secunda pars ostenditur: omnis ordo effe-
ctus ad causam est accidentalis quidditati ipsius
effectus sumpti specificatiue: sed ordo, ab, in re-
latione est ordo effectus ad causam: nam rela-
tio effectiue causatur à fundamento: vt questio-
ne sequente probabimus: ergo est relationi acci-
dentalis: si relatio specificatiue sumatur: nam
si sumatur reduplicatiue; & vt effectus est; tunc
ordo ad fundamentum est illi essentialis: sed
tunc, non relatio, sed relatiuum dicitur: sicut &
reliqui effectus; quatenus effectus sunt.

Ad primū. Ad argumenta respondetur: ad primum,
quod loquitur ibi Doctor de relatione quoad ef-
se existentia: & ita ait; ipsam non posse esse sine
fundamento; non quia accidens, sed quia re-
latio est: non vero loquitur de ratione specifica
relationis, quæ solum in ordine ad terminum
consistit.

Ad secundū. Ad secundum nego consequentiam: va-
riatur enim suppositio: quia in maiori sumitur
relatio quoad existentiam; & in minori quoad
esse essentialis: quare maior est vera: nam rela-
tio dependet à fundamento; vt à causa efficien-
te: & minor est etiam vera, quoad esse specifi-
cum: sed consequentia est falsa: quia non infer-
tur ex præmissis sub eadem suppositionis ratio-
ne.

Ad tertium concedo minorem de cognitio-
ne quietatiua, & per additum; secus de cognitio-
ne quidditatiua simpliciter.

Nota. Nota tamen: quod nostra sententia est ve-
ra, consideratis illis duabus habitudinibus, ad, &
ab, in relatione: cæterum si relatio consideretur,
vt vnica habitudo fundata in fundamento, &
terminata ad terminum, vt ait Bargius,
tunc opposita sententia ve-
rum asserit.



QVÆST. II.

An secunda notificatio relatiuo-
rum, quam ponit Arist. sit con-
uenienter data?

Si ergo sufficere eorum, quæ sunt ad
aliquid, diffinitio assignata est, aut
nimis difficile: aut impossibile est
soluere: quoniam nulla substantia eo-
rum, quæ sunt, ad aliquid dicitur: si
autem non sufficienter: sed sunt ad
aliquid, quibus hoc ipsum est esse ad
aliquid quodammodo se habere: for-
tasse aliquid contra ista diceretur,
&c. Cap. eodem.



VAERITVR: an
secunda notifica-
tio relatiuorum, quæ
ponit Aristotel. sit
conuenienter data?
Quod non vide-
tur: quia illa nulli
in genere relatio-
nis conuenit: igitur non conuenit gene-
ralissimo relationis: probatio antecede-
tis: quia si esse relationis esset ad aliud se
habere: hoc esset per aliam relationem
illius: igitur alterius esse esset ad aliud
se habere pari ratione: & sic in infinitum:
quarum semper posterior esset relatio
prioris: quod est inconueniens.

Item, illa diffinitio aut est formæ
relationis in se, quod per argumentum
præcedens est improbatum: aut subie-
cti in se: quod falsum est: quia eius esse
non est ad aliud se habere: quia ipsum,
secundum se, est res alterius generis, &
absolutum: aut subiecti informati tali
forma: & tunc est entis per accidens:
quod est inconueniens: quia eius non est
diffinitio, secundum Arist. sexto Meta-
physic. nullus igitur est notificatio illa,
quod est inconueniens.

Item, generalissimum est prædica-
bile de qualibet sui specie: sed hoc non
potest esse, nisi secundum quod signifi-
catur in singulari: illa autem notificatio
datur de aliquo, secundum quod signifi-
catur in plurali: igitur non de ipso gene-
ralissimo.

Te vt. com.
4. & inde.

Item,

Item hæc notificatio non videtur cõ-
uenire omnibus, quæ sunt in genere re-
lationis: multa enim dicuntur ad aliud,
quorum esse essentialiter non est ad aliud
se habere essentialiter.

Ad oppositum est Aristoteles.

Dicitur ad quæstionem, quod dupli-
cia sunt relatiua, quædam secundum esse:
& alia secundum dici: prima notifi-
catio Aristotelis datur de relatiuis secun-
dum dici: scilicet ad aliquid dicuntur
quæcunque hoc ipsum, quod sunt, alio-
rum, dicuntur; vel quomodolibet aliter
ad aliud. Secunda notificatio, quam ma-
gis approbat: scilicet, ad aliquid sunt,
quorum hoc ipsum esse est ad aliud se
habere: datur de relatiuis secundum ef-
se.

Contra hanc distinctionem: aut di-
uisio datur per opposita, aut non: si non,
non valet: si sic, igitur relatiua secun-
dum dici non sunt relatiua secundum
esse: igitur non sunt relatiua: igitur re-
latiua male diuiduntur in illa. Simili-
ter, si sint opposita: sequitur, quod rela-
tiua secundum esse non sunt relatiua se-
cundum dici: quod est falsum. Si dica-
tur: quod membra debent intelligi cum
præcisione: sequitur, quod relatiua secun-
dum dici sunt tantum secundum dici: &
ita illa non verius essent relatiua: quam
nigrum dictum album est album.

Item, alterum membrum diuisionis con-
uertitur cum diuiso: idem enim est ho-
mo absolutè, & homo secundum esse.

Item, illa notificatio, quæ ponitur
relatiuorum secundum dici, nulla est:
tunc, quia illa competit substantijs, quæ
nullo modo sunt ad aliquid, secundum
Aristotel. qui hoc habet pro inconue-
nienti: tunc, quia secundum illam, dis-
ciplina dicitur relatiue ad disciplina-
tum; quia eius: & pari ratione, albedo
ad album: & pari ratione omnia acci-
dentia ad subiectum: quia eorum dicun-
tur, ex illa igitur notificatione nullum
eorum potest concludi esse in genere re-
lationis.

Dicendum igitur: quod relatiua nul-
lo modo diuiduntur in relatiua secun-
dum esse, & relatiua secundum dici: quia
sumendo membra præcise, relatiuum se-
cundum dici non est magis relatiuum,
quam homo mortuus est homo. Forte

tamen entia sic diuiduntur: quod quæ-
dam sunt relatiua secundum esse: vt illa,
quæ denominatiue dicuntur à relatio-
nibus: quædam autem sunt relatiua se-
cundum dici: vt, quæ sunt in alijs gene-
ribus, & secundum aliquam habitu-
dinem dicuntur ad alia: illa tamen simpli-
citer loquendo non sunt relatiua. Sed
verè relatiuorum quædam dicuntur se-
cundum suam propriam formam ad a-
liud: vt quæ sunt primo, & proprie rela-
tiua: alia sunt verè relatiua, & non dicun-
tur secundum propriam formam ad a-
liud: vt sunt relatiua secundum genus: illa
enim sunt per se relatiua, sed nõ primo:
& dicuntur ad alia secundum formam
sui generis: vt si scientia sit per se relati-
uum; impossibile est illud, quod est eius
species secundum illam significationem
non esse relatiuum: quia tunc genus, &
species non essent in eodem genere: sed
non est primo relatiuum: quia non secun-
dum illud, quod superaddit suo generi:
& ideo dicitur ad correlatiuum generis
secundum ipsum genus.

Dicendum igitur: quod notificatio
Arist. secunda, est conueniens de relati-
uis: quia indicat rationem eorum; in quæ-
tum sunt relatiua: vt patebit responden-
do ad rationes.

Ad primum igitur dicendum est, con-
cedendo, quod illa notificatio non da-
tur de relatione; sed de relatiuis dictis
denominatiue ab eis. Quare autem illa
diffiniat, & non relationes, & eorum
proprietates ponat: dictum est in præce-
denti quæstione.

Ad aliam dico: quod illa notificatio
non est relationis absolutè; vt signifi-
catur in abstracto, neque subiecti absolu-
tè: neque totius aggregati: sed formæ, vt
informat subiectum eo modo, quo signi-
ficatur per nomen concretum dictum à
generalissimo relationis: ita quod ly, vt,
non dicat partem eius, quod signifi-
catur, sed modum.

Ad tertium dictum est prius: quare re-
latiua æquiparantiæ diffiniuntur in plu-
rali conuenientius, quam in singulari: cū
huiusmodi sit illud, quod hic diffinitur:
sicut patet ex præcedenti quæstione.

Ad quartum dicendum: quod illa ra-
tio conuenit omnibus essentialiter, quæ
sunt in genere relationis: vt denomina-
tiue dicta à relationibus: si autem sint,
quæ dicuntur ad aliud, & non habent

Cc 3 hanc

hanc rationem; non sunt relatiua, nisi secundum quid.

Additio.

De prima proprietate, & secunda, quæ sunt recipere contraria; & suscipere magis, & minus; notandum: quod illæ non insunt per se relationibus: neque forte relatiuis, sed tantummodo ratione eorum, in quibus per se fundatur relatio. Vnde quæ fundantur informis, suscipientibus magis, & minus, vel contrarietatem, recipiant hæc: sicut similitudo secundum albedinem recipit magis, & minus, & contrarium: quia & albedo, in qua fundatur: similitudo autem, quæ est secundum aliqua, quæ sunt in quarta specie qualitatis, non suscipit contrarium, nec magis, & minus: quia nec illa suscipiunt, in quibus illa similitudo fundatur: & hoc loquendo de prima proprietate; de contrarietate proprie dicta. Tum, quia si illæ duæ per se in essent relationibus; posset esse motus in genere relationis: quia posset esse acquisitio partis post partem alicuius formæ in genere relationis: & talis acquisitio est motus secundum Commentatorem super tertio Physicorum: sed consequens est inconueniens: scilicet motum esse per se in genere relationis: quia est contra Aristot. in quinto Physicorum. Tum, quia si in forma relationis esset suscipere magis, & minus; relatiuum dictum secundum magis per se referetur ad duo; scilicet ad aliquid dictum secundum minus secundum eandem formam: & præter hoc, ad illud, ad quod tale relatiuum absolute dicitur: verbi gratia, similius diceretur per se ad minus simile: & præter hoc, ad illud, ad quod suum posituum refertur: scilicet, simile: sed consequens videtur inconueniens: quia contra Aristot. in quinto Metaphysic. qui habet pro inconuenienti: quod idem bis referatur: id est, ad duo.

Com. 4.

Text.com. 10.

Text.com. 22.

Propter hoc videtur dicendum: quod illæ proprietates per accidens insunt relatiuis. Nec obstat auctoritas Aristot. in contrarium: quia nihil videtur secundum propriam opinionem determinare de relatiuis ante illam partem; ubi incipit improbare primam notificationem relatiuorum. Sed ad minus nullum relatiuum dicitur proprie contrarium ei, cuius est relatiuum; licet accidat aliquid idem vni esse relatiuum, &

alij contrarium: vt scientia contrariatur ignorantia; & ad illud non refertur, sed ad scibile.

Summa textus.

POSQVAM determinauit Doctor genus relationis esse genus vnum habens vnam rationem communem suis inferioribus, quam habitudinem ad aliud esse, monstrauit: nunc, vt clarius ibi tradita innotescant; inquit de diffinitione secunda relatiuorum, quam ex propria mente Aristot. tradidit, an sit conuenienter data. Partem negatiuam probat quatuor rationibus satis claris. Deinde recitat aliquorum opinionem, qui vt difficultati respondeant; relatiua in secundum esse, & secundum dici, diuidunt: prima notificatio relatiuorum, inquit ista, datur de relatiuis secundum dici: secunda vero de relatiuis secundum esse. Doctor autem non conclusionem illorum; sed diuisionem prædictam reijciens pro veritate manifestanda.

1. Conclus.

Dicit primo: relatiua huius generis non diuiduntur in relatiua secundum esse, & secundum dici: hæc habetur ibi: dicendum igitur quod relatiua. Et probatur paulo ante, ibi: contra hanc distinctionem.

2. Conclus.

Diuisione præfata forte diuiduntur entia: nam alia sunt relatiua secundum esse, quæ sunt proprie prædicamentalia, & quæ denominantur à relationibus prædicamentalibus: alia sunt secundum dici, quæ sunt in alijs generibus, & secundum aliquam habitudinem dicuntur ad alia, appellanturque relatiua secundum quid: sicut homo mortuus est homo.

3. Conclus.

Tertio, dicit: verè relatiuorum quædam sunt per se primo relatiua: quædam per se non primo: sed secundum suum genus: & hæc ad cor relatiuum generis terminantur.

4. Conclus.

Quarto, asserit: diffinitio secunda relatiuorum est conueniens de relatiuis: non enim datur de relatione in abstracto; sed in concreto sumpta: habetur ibi: Dicendum igitur, quod notificatio: & in solutione ad primum, & ad secundum, & habita fuit quæst. præcedente.

Tandem post argumentorum solutiones addit doctrinam celebrem circa duas relatiuorum proprietates: quomodo scilicet recipiunt contraria, & suscipiunt magis & minus: de qua quæstione sequente discutietur: in hac enim quæstione solum agemus de relatione in ordine ad suum subiectum; fundamentum, & rationem fundandi: nam de ea in ordine ad terminum in vltimis quæstionibus disputabimus.

ART.

ARTIC. I.

Quæ conditiones ad hoc prædicamentum requirantur?

1. Not.

PRÆSENS difficultas potius in explanatione, quam in argumentorum propositione consistit. Quare notandum primo: quod ad quamcunque relationem in actu quatuor requiruntur: subiectum, scilicet, fundamentum, ratio fundandi: ac tandem terminus. Subiectum est id, quod relationi subijcitur; ab eaque afficitur, & denominatur, quod in relationibus realibus est duplex: aliud vltimū, & quod, & tale semper est substantia: alterum non vltimū, immediatum, & quo, & tale potest esse accidens: vt patet in relationibus similitudinis, & equalitatis, quæ immediate accidentibus inhaerent. Et subiectum quodlibet etiam extremum appellari solet.

Fundamentum est illud, quod in subiecto requiritur; vt realis causa, & ratio, ob quam in illo relatio confurgat: vt duo corpora non haberent in se relationem similitudinis, nec equalitatis; nisi haberent in se albedinem, & quantitatem, quæ sunt fundamenta istarum relationum. Vnde de ratione fundamenti non est, quod sit idem re cum subiecto, aut re ab illo distinctum: sed abstractiue: quandoque enim est idem, quod subiectum, cui relatio immediate inhaeret; quandoque est distinctum: tamen de ratione fundamenti, vt sic, est, vt sit in eodem subiecto, in quo est relatio: & quod non referatur; sed sit ratio fundamentalis referendi: quare quando subiectum, & fundamentum coincidunt, vt patet in duabus albedinibus relationem similitudinis fundantibus, ad huc, saltem ratioque, alia est ratio subiecti, & alia est ratio fundamenti: dicitur enim albedo subiectum; quatenus refertur, & ei relatio inhaeret: dicitur autem fundamentum præcisè; quatenus causa est, & ratio, propter quam relatio confurgit. Et quod de fundamento, & subiecto dicimus; idem de extremo, & fundamento, quoad coincidentiam, dicendum est.

Ratio fundandi, seu conditio sine qua non; seu, secundum alios, fundamentum proximum; est illud, quo posito, ponitur ipsa relatio: sicuti posita vltima dispositione, necessario introducitur forma.

Terminus denique est illud, ad quod relatio ordinat ipsum subiectum: & quia terminus sæpe refertur; dicitur quoque correlatiuum: & semper extremum appellatur. Exemplum omnium: Petrus est subiectum paternitatis; potentia generatiua est fundamentum: alio generandi est ratio fundandi: & filius genitus est terminus, sine correlatiuum.

2. Not.

Secundo notandum, ex Doct. in primo dist. 31. quæst. vnica, quod relatio realis; vt opponitur relationi rationis; tres conditiones requirit: videlicet, quod extrema sint realia: realiter distin-

cta, & existentia: ex quorum natura resultet ipsa relatio, & non per operationem alicuius potentie negotiantis: & relatio, cui aliqua ex his conditionibus deficit appellatur à Doctore ibi; & quæstione præcedente, relatio rationis large. Ceterum relatio realis sic sumpta diuisionem patitur; sicut & distinctio, quæ præsupponit: nam alia est relatio realis realis, quæ habet extrema realia: alia est relatio realis formalis, quæ resultat inter extrema formaliter distincta: qualis est illa, quæ voluntas mouens refertur ad se ipsam, vt motam; quæ relatio secundum Doct. in secundo distinct. 5. est realis: & tamen extrema, nempe voluntas, vt mouens, & vt mota, non nisi tantum formaliter distinguuntur. Nisi dicas cum Leucheto ibidem: quod talis relatio dicitur realis, ratione volitionis, quæ realiter ab ipsa voluntate distinguitur, sed meus dicendi modus Doctori conformior videtur.

1. Conclus.

Dicendum primo, Ad relationem realem absolutè, prout à Relatione rationis differt; tantam tres conditiones à Doctore assignatæ sufficiunt: patet: nam oppositio realis semper est inter duo, quorum vnum non est aliud a parte rei: sed relatio est oppositio realis: ergo necessario datur inter duo extrema realia, quorum vnum non sit aliud. Major constat: quia nihil sibi idem realiter, sed alteri opponitur; igitur, &c.

2. Conclus.

Dicendum secundo, Non in omnibus relationibus realibus requiritur distinctio realis inter subiectum, & fundamentum, sed in aliquibus tantum. Prima pars probatur: nam in opinione Doct. potentia generandi, quæ fundamentum dicitur paternitatis, tantum formaliter distinguitur à supposito; cuius est potentia, quod suppositum dicitur subiectum: ergo. Et idem de duabus albedinibus dicitur.

Secunda pars constat in omnibus relationibus, quæ adueniunt subiecto mediante aliquo accidente realiter ab ipso subiecto distincto, quod accidens dicitur fundamentum: vt patet, quando duæ substantiæ dicuntur similes ratione duarum qualitatum sibi inherencium: vbi substantiæ, quæ sunt subiectum, & qualitates, quæ sunt fundamentum, realiter distinguuntur: ergo, &c.

3. Conclus.

Dicendum tertio, Ratio fundandi in aliquibus relationibus distinguitur realiter à subiecto, & fundamento: in aliquibus vero nequiquam. Prima pars patet in actione generatiua, quæ est ratio fundandi: & tamen distinguitur realiter: nam transacta ipsa, remanent extrema; scilicet pater & filius.

Secunda pars etiam est manifesta: nam unitas formalis, quæ est ratio fundandi Relationis primi generis solum à fundamento formaliter distinguitur. Igitur, &c.

Cc 4 ART.

ARTIC. II.

An relatio huius generis possit immediate in substantia, & in alia relatione fundari?

1. Sentent.

QVAMVIS de substantia non sit ita controuersum: maxima tamen est inter vtranque scholam concertatio; an relatio possit aliam relationem fundare? Partem negatiuam tuentur Thomistæ cum Ferrara quarto contragent. capit. 4. & Soncinato quinto Metaph. quæst. 29. & alij: quam probant primò, ex Arist. tantum tria fundamenta relationum assignant: scilicet quantitatem; actionem & passionem, & rationem mensuræ: ergo aliud præter ista assignari est contra Arist. vel dicendum est, quod ipse fuerit diminutus.

1. Argum.

Secundò, relatio est ratio referendi vnum ad aliud: ergo per se ipsam, & non per aliam relationem, refertur ad omne illud, ad quod ordinari potest: sed, si vna relatio aliam fundare possit: non per se ipsam, sed per illam aliam ordinaretur: quod videtur impossibile: ergo.

3. Argum.

Tertiò, quia aliter daretur processus in entibus realibus: patet: quia si paternitas fundat relationem, cum illa secunda sit vera relatio, fundabit alteram: & sic in infinitum: propter quod vitandum, ait Doctor quinto Metaphysic. quæstione vndecima, conclusionem decima, & in primo dist. 26. quod aliqua relatio præcisè non est fundamentum relationis.

4. Argum.

Quartò, sicut materia non est materiæ, sed formæ: sic relatio non est relationis; sed absoluti: ergo absolutum, & non relatio, erit fundamentum relationis realis.

Sentent. Doctoris.

Secunda, & opposita sententia est Doctoris, pro qua notandum primo, ex eodem in primo distinct. 19. quæstione prima littera A. quod de relationibus identitatis; æqualitatis, & similitudinis, dupliciter loqui possumus: strictè scilicet & large; primo modo peculiaribus entibus attribuuntur: vt identitas substantiæ: æqualitas quantitatis; & similitudo qualitati, quarum fundamenta sunt res illius generis, in quo fundantur: & ratio fundandi est vnitas formalis talium rerum. Secundo modo in omni genere: imò & extra genus reperiuntur.

2. Notand.

Secundo notandum: quod hæc tria, substantia, quantitas, & qualitas; etiam dupliciter sumuntur: strictè; prout tria prædicamenta absoluta constituunt: large autem in omni ente inveniuntur. De substantia patet: quia communiter pro essentia sumitur: & omne ens habet necessarium suum quid: de qualitate etiam constat: circuit namque omne ens: vnde quinto Metaph. cap. de Qualitate dicitur: differentia essentialis qualitas est, & Porphyrius ait, ipsam in quale quid prædicari. Similiter quantitas improprie; id est, quantitas virtutis, seu perfectionis; in omni includitur ente: quodlibet enim habet suam magnitudinem perfectionis, Itaque quodlibet ens

tripliciter considerari valet: vel per modum habentis quidditatem: vel per modum habentis quantitatem perfectionis: vel tandem per modum qualis: & cum qualitas, quantitas, & substantia, sit fundamenta similitudinis, æqualitatis, & identitatis: sequitur, quod in omni ente possunt istæ tres relationes immediate fundari: & hoc voluit Philosophus decimo Metaphysic. text. 12. quando dixit: omne ens omni enti comparatum est idem, vel diuersum: & similiter potest dici: æquale vel inæquale: simile, vel dissimile. Vnde sicut harum relationum fundamenta sunt transcendentia: etiam & ipsæ transcendententes sunt: id est, in quolibet genere reperiuntur.

Tertiò notandum: quod relatio dupliciter sumitur: vel quatenus est præcisè, & formaliter ratio vnum ad aliud referendi: vel materialiter; prout scilicet conuenit cum alia relatione in specie, & natura vna: vt duæ paternitates considerantur, quatenus sunt eiusdem speciei in prædicamento relationis: habet enim hoc prædicamentum sua genera, species, & indiuidua: sicut & quodlibet aliud genus.

Dicendum primò. Relatio realis immediate in substantia fundari potest: hæc est Doct. & suorum quinto Metaphysic. quæst. 12. & in primo distinct. 31. & in secundo distinct. 1. quæst. 5. & in tertio distinct. 8. & quodlib. 6. contra Sorum & Toletum in præsentibus: probatur primo, distinctio realis est relatio realis: hæc enim tria, distinctio, relatio, & oppositio habent se per ordinem: sed substantia, omni accidente remoto; adhuc est distincta realiter ab alia substantia: puta, homo à lapide: ergo aliqua relatio realis fundatur immediate in substantia. Maior patet, & minor probatur: quia distinctio essentialis non est per ali-quod accidens rei distinctæ.

Secundò, forma substantialis, secundum se ipsam dependet à sua causa efficiente, sed dependentia realis, qualis est effectus realis ad causam realem, est relatio realis: ergo, &c.

Tertiò, omnis similitudo est relatio: quia nihil est sibi, sed alteri, simile: sed vna substantia est alteri realiter similis: ergo talis similitudo realis immediate in substantia fundatur: probò minorem: quia non minus Petrus, & Ioannes sunt similes in natura humana, quam duo alba in albedine: ergo.

Dicendum secundò. Relatio realis potest esse immediatum fundamentum alterius relationis realis, hæc est Doct. quinto Metaph. quæst. 11. in primo distinct. 1. quæst. 4. distinct. 6. quæst. 2. dist. 12. quæst. 1. dist. 19. quæst. 1. & in secundo dist. 1. quæst. 4. ad quintum, in quarto dist. 6. quæst. 10. quem sequuntur omnes eius discipuli ibidem contra Caiet. Soncinatem, Masium, Murciam, & innumeros alios: probatur primò, ita eiusdem rationis sunt duæ paternitates, seu duæ relationes eiusdem speciei, sicut duæ albedines, & duæ quantitates, sed inter istas est conformitas, & relatio realis: ergo & inter illas.

Secundò, sicut inter duas paternitates est realis conformitas: sic inter paternitatem, & filiationem est realis difformitas: sed talis difformitas est realis relatio: ergo,

3. Notand.

1. Conclus.

2. Concl.

Ter-

Tertiò, quæcunquæ realiter distinguuntur, fundant relationem realem: sed duæ paternitates realiter distinguuntur: ergo.

Quarto probatur à priori: duæ relationes eiusdem speciei sunt entia realia habentia naturam specificam, vnam, realem, in qua conueniunt, eo modo, quo eam habent Petrus, & Paulus: ergo habent proximum fundamentum relationis identitatis realis: nempe vnitatem formalem relationis specificæ, quam participant: ergo tales relationes immediate præfatam relationem fundant. Alias rationes vide apud Valeram in secundo lib. suæ Logicæ distinct. 5. art. 2. quæst. 2.

Ad primū.

Ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur ad primum, quod Arist. sub illis tribus fundamentis comprehendit omnia alia, quæ vnitate formalem participant, cum suis oppositis: vnde 5. Metaph. cap. 15. ait: eadem enim sunt, quorum substantia est vna.

Ad secundum.

Ad secundum dico: quod relatio formaliter sumpta est ratio referendi; & vt sic non est fundamentum: secus pro materiali considerata.

Ad tertium.

Ad tertium dicendum: quod illæ relationes, seipsas, sunt similes, & æquales: nam quando denominatio aliqua est eiusdem rationis cum aliqua forma, & effectus formali illius, quem ipsa alteri confert, & intrinseca, ac inseparabilis ab ipsa, sistendum est in tali forma: ipsa enim per se est talis: vt existentia, seipsa, & non alia, existit: quantitas seipsa, & non per aliam quantitatem, est quantitas: sic in proposito dicendum est.

Vel potest dici: quod in absolutis inconueniens est progredi in infinitum: secus in relationibus: vt de secundis intentionibus alibi diximus.

Ad quartū.

Ad quartum, nego paritatem rationis: nam implicat, quod materia sit fundamentum alterius materiæ: non autem implicat: quod relatio pro materiali fundet aliam relationem, quæ mediate ad absolutum primæ terminatur: quod tantum vult Doct. in tertio argumento relatus.

ARTIC. III.

An relatio realis per aliquam actionem producat: & cuius sit talis actio; termini; an fundamenti, an agentis extrema causantis?

1. Sentent.

TRIPLEX circa hunc articulum sententia versari potest: prima est Stephani Bruliser, quem citat Bargius in primo distinct. 17. quæst. 2. fol. 216. lit. L.

1. Argum.

Asserentis relationem realem causari à causante extrema: quæ sic probari potest: nam secundum Arist. ad relationem huius generis non est per se motus, nec mutatio: sed si relatio produceretur immediate ab extremis; ad illam esset per se motus, contra Arist. ergo dicendum est: quod non ab extremis; sed ab agente causante extrema produciatur.

Secundo; Relatio, secundum communiter loquentes non produciatur; sed resultat; & comprobat ad productionem extremorum: ergo sufficit actio, qua producantur extrema; vt ipsa resultat: non enim multiplicandæ sunt actiones sine necessitate.

Secunda sententia potest esse: quod relatio realis ab vtroque extremo simul produciatur. Probatur primo, relatio secundum omnes dependet à fundamento, & termino: ita vt sine illis nequeat esse: imò magis à termino, quam à fundamento. ergo vtrumque est eius causa productiua.

Secundo, aliquod fundamentum; puta quantitas, & materia prima, non est actiuum: ergo relationes, quas fundant, produciuntur à terminis: ergo terminus etiam est productiuus relationis: vel si non: talis relatio produceretur à causante extrema, & hoc argumentum facit pro prima opinione.

Tertia sententia affirmat relationes reales immediate produci à fundamento, tanquam à causa adæquata. Ita Leuchetus quodlib. 14. Valera in præsentibus distinct. 5. art. 2. quæst. 1. conclusio tertia, qui citat Doct. in secundo distinct. 1. quæst. 5. pro qua notandum primo, differentiam esse inter actionem productiuam; mutationem, & motum: nam mutatio, & motus semper continent duos terminos primos, à quo, scilicet, & ad quem: quia omnis mutatio, & motus, fit ab opposito in oppositum, & à quodam in quoddam ex quinto Physicorum: id est, à subiecto in subiectum: vt alteratio: vel à non subiecto in subiectum: vt generatio: vel à subiecto in non subiectum: vt corruptio: vero actio productiua ex se non postulat nisi terminum, ad quem: etsi aliquando exigit terminum, à quo; hoc est per accidens, ratione motus, seu mutationis, quam committitur: quod autem est per se conueniens alicui, potest ab illo, quod ei conuenit per accidens, absolui: & ita potest actio productiua reperiri sine mutatione, & motu. Vnde secundum August. sexto de Trinitate cap. 1. Splendor ignis, qui gignitur ab igne, atque diffunditur; esset coæternus, vel coæuus igni: si ignis esset æternus: si ergo sic esset: splendor ignis esset per se terminus actionis ignis ab æterno: & tamen non esset per se terminus mutationis, nec per se nec per accidens: quoniam non transiisset de non esse ad esse. Et hoc idem voluit Philosophus 7. Metaph. text. 22. vbi loquens de actione sic ait: omnia autem, quæ fiunt, ab aliquo fiunt; & ex aliquo; & hoc aliud dico secundum quamlibet Categoriam: aut enim; aut quantum; aut quale; aut quando. Ex quo textu constat: quod actio solum tria concernit: scilicet agens; materiam; & terminum ad quem; non vero terminum, à quo.

1. Not.

Ex quo inferitur; aliud esse terminare motum; aliud terminare mutationem; & aliud terminare actionem: nam terminare motum est formam successiue acquisibilem acquiri per motum successiue: terminare mutationem est, formam totam indiuisibiliter & in instanti acquiri: vero terminare actionem productiuam est formam habere esse per ipsam sine motu, & mutatione; nisi forte per accidens: vel nisi motus su-

Corol.